

Ya
4089



170



Q. K. 95, 17.

Ya
4089

Q. D. B. V.

FERAX ME-
TALLOR. ATQUE
MINERALIUM DÜBENSIS
SALTUS, PROPE SCHMIDE-
BERGAM, IN SAXONIÆ
ELECTORALI CIRCULO,

Repræsentabitur

A

PRÆSIDE

GEORGIO CASPARE
KIRCHMAJERO,

P.P. Academiæ Wittenberg. Seniore,
& h. t. RECTORE,

Responsuroque

JOHANNES SCHOCKWITZ,
Lipsiensi Misnico,

Wittenberg. ad diem 1. Octobr. Anno M DCXCII.

In Auditor. Major.

WITTEBERGÆ, Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typogr.



Academiae Wittenbergensis Inclytæ
RECTORI MAGNIFICO,
DECANIS SPECTATISSIMIS,
SENIORIBUSq; VENERANDIS,
VIRIS,

*Summè Reverendo, Nobilissimis,
Consultissimis, Experientissimis, Excellen-
tissimis, Dominis, Patronis Præcepto-
ribusque ætatem observandis,*

Præsentem Disputationem

Humillimè

Dat, dicat, dedicat

Johann. Schockvitz, Lips. Misnicus
Med. Cultor.



B. C. D.

§. I.



Opidum municipale, situm in superioris Saxoniae Electorali Circulo, secundo lapide, ac paullo amplius remotum Wittebergâ, panni-lanificioque copioso, & cocturâ cerevisiæ præstantioris non ignobile; hinc collibus, pleraque tamen sui parte sylvis coronatum, Saltui Dübensî proximum; ut nomine, sic re ac nomine, ab operis fabrilibus, ferrique fabricis, antiquitùs denominatum *Schmideberga*: *Cbalcis* dicta à *Melancthone* Saxonica; sub lat. 51. gr. 48. min. Huic solû pluribus in locis minerale; nisi quòd alicubi ad vineas cellasque, extra opidum decenter exornatas ædibus, est arenosum, & cum præter, tum interlabentibus aquis fluvialibus irriguum. Sed aquæ ipsæ Martiales, vitriolicæ, aluminosæ; diversis nihilominus in locis: testes gallæ nigricantes talibus injectæ, literæque Senatoriæ VIII. die Julii, jam Anno 1669. perscriptæ: *Das ein Erd-Feuer sey im dortigen halbo huffnern Feld-Flur / an einem / die Rothe Marck genandten / und ein starck Viertel Wegs / von der Stadt gelegen / auf grundigen und geringem Unterholck / an Fichten / Erlen und Bircken tragendem Ort; woselbst hiebevör vor 60. und mehr Jahren (post initium seculi præcipitis) Ihre Ehuro*

A 2

Churfl. Durchl. zu Sachsen ein Bergwerck anlegen / einen
 Bronnen graben / und daraus Kupffer- Wasser præpari-
 ren; hernachmals aber / auff unserer Vorfahren unterthän-
 nigstes Suppliciren / wegen deren Fisch- und Brau- Wasser /
 weil sie davon inficiret worden / wieder eingehen lassen &c.
 Quod posterius, ex incolarum ignorantia profectum, fa-
 cilè mutari atque evitari potest.

§. II. Autor *Petrus est Albinus* in *Metallic. Misnenf. Chronic. c. 23. & 25.* non ollas tantùm fossiles ad *Schmidebergam* hanc, sed *Lithanthraces* quoque inveniri: ante annos aliquot prætereà (hæc autem scripserat *Albinus* Anno 1589.) incendium ab igne subterraneo promotum, vix ac ne vix debile, exortum esse, *Johannes Kentmannus*, Medicus *Dresdensis* patriâ, diligentissimus scrutator mineralium & Metallorum, in Catalogo fossilium, inprimis *Misnia*, ut quidem Saltus atque oppidi *Dübani* crebram mentionem faciat, ne quidem apice signavit, quod mireris, quicquam de terris atque mineralibus *Schmidebergensium*. Cùm nihilominus attentionem & scrutinium res mereatur sola, (si vel nihil ampliùs subesset,) quæ tot olim peperit incendia, grassantia tam latè, tam diu; dignum visum est negotium; ut peculiaris illi opera tribueretur: utinam successu prospero ac salutari pluribus, quem largiatur DEUS!

§. III. Atque ut à *Vulcanalibus* his ordiamur, primò breviter tangendum est incendium, superiori seculo exortum Anno millesimo, quingentesimo, octogesimoq; Inde *Halcyonia* ad Annum usq; M. DC. LXIX. Quo quidem tempore vernali, mox à festo Paschatos, ad quartã milliaris partem

partem, loco, longitudinis, quàm latitudinis prolixioris, dicto rediit. Jam per unum alterumq; mensem tantos ignes subterranei progressus fecerant, ut profunditate duos in commune cubitos æquarent, arborum exurerent radices & & consumerent, dejectis truncis. Locis plurimis reliquerat hiatûs flamma serpens, & dolosos cineres. Senatui & Civibus complacuit, ut circumcircà duceretur fossæ ambitus, & ex piscina proxima derivaretur eò aqua, flammæ vastatricis, impetum coërcitura, nisi exstinctura penitus; sed irritò conatu. Reliquum sub fossa actus ignis hausit; cum inducta aqua à cineribus exæstuantibus in bullas albicantes & spumantes sorberetur. Hoc incendium sylvaticum ne lapsæ quidem deleverunt pluvix, quamdiu suppetebant alimenta ignium; post festum Michaëlis iterum resedit. Tempore diurno latè grassabatur fumus, adeò, ut pro ventorum ratione, oppidum infestaretur; redolente acidum ex sulphure foetorem, & carbonibus fossilibus, mephyti. Noctu flamma visa est apertior: periculum ab aëre inficiendo metuebant incolæ; nec tamen quicquam insecutum mali est.

§. IV. Poterat indicium sufficiens hoc solum esse mineralis terræ Schmidebergicæ: in qua & pluries, & diuturna hæc incendia observabantur. Etsi enim terræ carbonariæ, è cespitibus sulphureis ubertas alibi (ut in *Westphalia*, *Hannoverano* tractu, *Frisia*, *Leodicensi* ditione, ac *Hollandia*) occurrat longè major; similis non tamen, sponte suâ phlogosis oborta, legitur tamdiu perdurasse. Sed jam ordine enumeremus propè *Schmidebergam*, maximèque in *Dübensi* Saltu mineralia; à nobis visa sæpiùs, collecta & examinata. Prodeant in primis Terræ, Succis, Lapidibus, diversi generis.

(6.)

§. V. E Terris species sequentes observatæ, (1.) *candida fullonia*, weisser Letten / und Seiffen oder wasch. Erde; (2.) *Cinerea lutosa*, grauer Letten; utramque hanc non satis providè fictilibus duntaxat ollis figuli ibidem adhibent. (3.) *Rubra & friabilis*, Roth Gebürge / unde sulphur & vitriolum excoquitur. (4.) *Bituminosa nigra*, schwarz bergwächsig und reich; exsiccata flammam facillè concipiens. (5.) *Aluminosa*, maximo ad pagum Schwarz proventu, juxta *Muldam*, in vicinia *Dübensis* oppidi. Quam cum triennio ab hinc superiori, ex inspectione loci & Quæsturæ ultra seculum Regestis, detexerimus duobus *Lipsiæ* Amicis opulentioribus, optandum foret, ut non exclusissent à societate ac redditibus svasorem atque indicem. (6.) *Carbonaria*, è cespitibus sulphureis, vulgò *Zorff*.

§. VI. Species *succorum* mineralium reperiuntur in *Dübensi* Saltu hoc, (1.) *Vitriolum* ad *Schmidebergam*; seculo superiori magis notum, hodiè ab accolis negligitur, hominibus assvetis lanificio, & cerevisiæ coquendæ. Res indigna, spernere ex mineralibus emolumenta necessaria. (2.) *Alumen*, quo de ante dictum, candidum; è quo sutorium efflorescit atramentum; gesotten *Alaun* / daraus *Rupffer-Wasser* wächst. Hoc vel *coctum*, durum, candidum, pellucidumque; ein geläuterter durchsichtiger *Alaun*; vel cum *atramento mixtum*, è terra humida exstillans & concrescens, *Alaun-Mehl*. Copia aluminis non modica; sed an & (3.) *Salis* aliqua? Sic sanè visum est *Albino*, & ex hoc Patronis Camerae Electoralis, ante annos hinc paucissimos, impensas eò maximas, per operas & operarios, locantibus. Priusquam caperetur tentamentum ab experientia, *Albinus* me, ut crederem, induxit pariter. Sic ille, in Me.

rallic. Misnens. Chron. c. 24. zwischen Schmiedberg und
 Düben sollen auch Salzbrunnen seyn, und derer Quellen
 für der Zeit von den Bauren / so wege ihrer liegenden Grün-
 de / wenn es in Schwang kommen solte / Sorg gehabt / ver-
 stopfft worden / wie die gemeine Rede gehet; daß sie also der-
 massen verwahrloset seyn / daß sie auch noch zur Zeit nicht
 wieder offenbahr werden können. Putei reperti, cum cu-
 nicularis, nî fallor V. laboratum strenuè, nullisque parsum
 sumtibus, sed irritò eventu. Calcinata mox, & à nobis li-
 xivio examinata loci terra; nihil salis, aliquid aluminis
 reliquit, quod uberrimè acquiri in vicinia *Dübensis* posset
 oppidi. Indicavimus maturè, ne quid ampliùs impende-
 retur, sed narrata surdis fabula; sic locus factus pœniten-
 tiæ. Nec in Saltu tamen alibi deesse salis fontes, affirma-
 verim; sed illic tantùm. De *Sulphure*, res (4.) clara. Ma-
 trix quippe sulphuris vitriolique eadem ex acido atra-
 mentoso & Venereo; quod accuratiores nôrunt Physici
 & Chymici. Hûc vide *Petr. Mariam Caneparium* de
 Atramentis; & imprimis Equitem *Merayum*, Regiæ in
 Anglia Societatis celeb. Collegam Ephemeridib. Anglic.
 neque ultimo laudandum loco Dn. *Kunckelium* in Obser-
 vation. Chym.

§ VII. *Lapides* sistemus *Minerales*, quos ibidem olim,
 atque nuper admodùm collegimus. In agris oppido vici-
 nis sigillatim non modò, (*Nester* und *nieren weiß*) sed
 & cumulatim etiam occurrunt (1.) *Martiales* & colo-
 re nigro, duro, derb *Eysen* & *Erz*. Sæpenumerò mi-
 ratus sum, quid causæ moverit antiquos turrium, Tem-
 plorum, munimentorumque conditores, ut *Kemberga*,
Schmideberga, ac vicinis locis, pagis nempe & castellis, usu,
 vel abusu hujus lapidis, conficerent & puteos & muros?
 cum

cùm inserviant majoribus emolumentis. Deprehendi denique, id fieri propter & incuriam, & copiam ibidem occurrentium horum objectorum. Si quis suspicetur, propter duramentum operis id factum, ex erasione lapidis in aëre friabilis, & temporum edacitate decrescens, confutari potest. (2.) *Lapides arosi ferrei*, Kupfferschüssige Eisenstein / cum sterili plumbagine, mit Blende. Color viridis indicium erat cupri & vitrioli; pollicebatur gravitas sub esse plumbum; sed defectum hujus arguit examen ignis. (3.) *Lapides colore jecoris spongiosi*, sub dio & in puteo; quã tendunt venæ, auß/und im Schacht; daraus man sonst viel Eisen rennet: (4.) *Lapides rubiginosi*, ochrã imprægnati; Leber: Erz mit einer Gilbe: horum quoque copia in rivulis vicinis *Schmideberga*, instar nucleorum cerasi & pruni.

§. VIII. Limites agnoscunt suos, ac periodos non solummodò Imperia & Regna Orbis potiora, sed & gentium minorum ditiones; dicam ampliùs, mortalium fortunæ cum redditibus metallicis, horumque incrementa pariter ac decrementa. *Seneca* vox prudens fuit: *Prout à nobis tractatum Numen est, sic nos tractat iterùm.* Qui verum vero animorum cultu DEUM quærunt, non id frustra faciunt. Fuit tempus, cum *Germania* (ut illam *Tacitus* in *Germanor.* moribus descripsit,) sylvis horrida paludibusque foeda, frugiferarum arborum impatiens, ex improcero pecore gratissimas solasque opes quæreret. *Argentum & aurum propitii*, (sic loquitur *Historicus Romanus*) *an irati Dii negaverint? dubito. Nec tamen affirmaverim, nullam Germania venam argentum aurumve gignere: quis enim scrutatus est?* Paucorum interjectu subjicit: *ne ferrum quidem superesse.* Poterat omittere sarcasum
Scriptor

Scriptor acris. Labor cum ingenio scrutinioque defuit: non defuerant *Germania* metalla unquam. *Plinii* ætate jam æraria metalla cognita fuisse, dubitare amplius non sine locus ex *Hist. Nat.* l. 34. c. 1. *Curtiumq; Rufum* in *Mattiaco-*
rum agro, *Cl. Cesare* IV. & *L. Vitellio* Cos. aperuisse venas in *Germania*, fatetur ipse *Tacitus*. Nec *Lipsius* hæc invicem conciliare volens loca *Taciti*, satisfacit *Cluverio*; 2. *Satur-*
nalior. Serm. cap. 1. sub init.

§. IX. Tempore *Caroli M.* Christiana sacra primùm inducentis & amplificantis in *Saxoniam* vicinasque regio-
nes, *Premislaus* Rex *Bohemia*, à stiva & aratro ad suprema Regni scepra sublimatus, primus (testimonio *Dubravii*
Hist. Boh. l. 2. n. 4.) inventis argenti metallis, argentarias intulit *Bohemia*. Temporibus *Ottonis M.* maximi cultoris & propagatoris Christianæ pietatis inter *Saxones*, illuxit
seculum ibidem aureum, ut loquitur *Ditmarus Mersbur-*
gensis l. 2. Prima repertorum mentio ap. *Otton. Frisingens.*
l. 6. *Chron.* c. 24. & *Sigebert. Gemlac.* in *Brabantia* Mona-
chum, in *Chronic.* ad Ann. 968. est. Hic venas auri inventas propè *Goselariam*; sed *Vuerbiensis Godefredus*
nominat argenteas, *Chronici* sui parte 17. ubi de *Ottone*
I. agit: *Ipse*, inquit, *primus in Goslaria Saxonica argenti*
fodinas invenit. Conf. & *Albin. Chron. Metallic.* l. 2. f. 7.
& III. *Thurneiss.* de aquis Mineral. lib. 7. f. 258. *Nussiensis*
Monachus, qui magnum *Belgicum* compilavit *Chroni-*
con, inventionis auri- & argenti-fodinarum meminit, fa-
ctarum ab *Ottone M.* Consulatur & *Meibomius* insignis de
Orig. Metallifodinar. Harzic.

§. X. Quis in *Hermunduror.* celeberrimis fodinis,
Freibergensibus, *Annaberg.* *Schneeberg.* *Mariaberg.* *Wolc-*
kensteinsibus, *Altenberg.* *Schwarzenb.* *Scheibenbergens-*
sibus,

B

sibus, Scharffenbergensibus similibusque, in montanis tractibus, tot unquam opes olim somniasset, quot hactenus sunt erutæ? Jam ab Ann. inde 1170. ad præsentem usque tot *Freiberga* redivit metallicos suppeditavit, quot enumerari nequeunt hâc vice. Unde sind gleichwol mehr als 2. Flûgel noch von unverwundetem und unverritztem Feld. *Schneeberga* in fodinis solis à divo *Georgio* denominatis, uno eodemque tempore, Anno 1477. ex argenti puri partibus contiguis, *Saxonia* ac *Hermundurorum* Dux *Albertus*, qui ministris comitatus suis hûc descendit, mensam & *subsellia* pro omnibus *argentea* invenit. Quantitatem inde æstimare licet; weil aus dieses Erzes purgediegenen Silber: Stufen 2. Lachter hoch / und 1. Lachter mächtig / 400. Cent. Silber gemacht / und von Herzog Albrecht dieses gesaget worden: Unser Kaysler Friedrich ist zwar gewaltig und reich; Ich weiß aber doch / daß Er aniso keinen solchen statlichen Tisch hat *Albin.* in der *M. B. E. f. 34. conf. & Matthes.* in Sarepta, non uno edit. nov. loco. E solis decimis, ab An. 1471. ad An. 1501. hoc est, XXX. tantum annis, 5199. Tonnas auri perceperunt Principes. Septuaginta verò novem annis, quæ obvenit summa *Misnie* Marchionibus, absolvebatur 41118. Tonnis auri. De fodinis reliquis ibidem, alibique in montanis *Misnie* nil memorabo. Sola hactenus *JobannGeorgiopolis* intra Annos hosce 40. quadraginta atque amplius myriades Imperialium largita est. Quis ante hujus seculi dimidium vel somnians cogitasset hæc paradoxa? quòd in asperrimis aeriisque montibus, in sylvis horridis, ferarum stabulis ac pabulis, reconderentur tot tantæque opes naturales? Vides, quàm munificus, quàm gratiosus DEUS fuerit in cultores sui?

Tempo-

Tempore reformationis *Lutherana* vulgò dicebatur:
eCCe fLorent VaLLeS CVM eVangeLio!

§. XI. Quis in fodinis *Harzicis Clausthalii* (de *Cellerfeldia* & *Goslaria* antiquioribus ne quid adjiciam,) superiori seculo has unquam credidisset, quæ his annis demum proximis aperuerunt se per indagatores sedulos, divitias? Nec in montanis *Misnia* aut *Bobemia*, nec in *Piniferi* vicinis, diligentius & curâ Principali olim abs me in *Voigtlandia* & *Palatinatu* perlustratis, subterraneos proventus plumbi & argenti similes fuisse observatos memini. Ingressus etenim fodinam *Margaretha* dedicatam, & egressus per fodin. *Eleonora*, XXII. scalis (*Barthen*) nuper Aprilis die 21. cum stupore deprehendi opulentis ac profundæ venæ bonitatem: Denn der Gang war in der Zeuffe/drey biß vierdthalben Lachter mächtig/ und verädelt sich noch weiter. Dicat aliquis cum *Tacito*, aut dubitet: *Propitine, an irati Dii aurum argentumque Teutonis negaverint?* Ecquis *Mariafani* in *Alsatia*, ac *Lebertbaliensi* tractu instar militis armati, ex argento pululato massam statuatque grandem mille marcas pondere æquantem, olim quævisisset? quæ hoc demum seculo à paupere inventa est fossore. Vid. Aug. *Hauptman*. im *Bergwerck* p. 54. *Bedenckē*. Quis in *Anhaltinæ* ditionis oppido *Hartzigerode* ac vicinis locis aliis, *Gernrode*, nec non *Güntersberge* (quæ ex ruderibus novissimè famigerantur) magni aliquid sperasset hactenus? Quis *Wettini* atque *Halla-Saxonum* in agris *Lithanthraces* minerasque ferri & argenti ante proximum triennium hoc sibi promisisset? Quis in agro *Norico*, quis in *Franconia* montana & campestri, utriusque *Brandenburgici* Marchionatûs, ante annos XVI, hæc admisisset? quæ nunc usurpantur oculis & manibus, Derisui tunc novi hominem

fuisse *Noribergæ* ac *Onoldi* habitum, qui talia pollicebatur. Fuit tempus, cum *Salfeldia*, ante annos totidem, non nisi XV, fossiles, transiturus per *Thuringiam* connumerarem; nunc dierum superant sexcentos. *Ilmenavij* ne unus aderat ex operariis metallicis, quo cum sermones cæderem de loci genio & mineralibus, jam ante annos XXVI. Quas operas, quas opes hodiè impendant & expectent, loquitur experientia. Erit tempus, quo de *Plaviensibus Voigtlandiæ* fodinis & vicinis, digna fide audientur. Utinam incumberent in curas eas ac sollicitudines *Silesiæ*, ad magna capienda apti, ut metalla omnis generis, quæ in occultis terræ possident, eruerent! Sed quibus, & quâ libertate posteris?

§. XII. Regredimur è diverticulo in viam, & ad Saltum propiùs accedimus *Dübensem*. Tabulam aut mappam aliquam desideramus Geographicam; & in eadem pagos, oppida cum montibus, in primis argillosis illis, (ubi paucos ante annos equidem cuniculi cum puteo detecti, sed reperti nulli fontes sunt salini,) valles & convalles, omniumque terræ, rivuli & notabiliora alia occurrerent delineata. Sed inter optata hætenus res stetit. Arbores multifidas, nodosiores quercus, & annosas pinus characteribus, secundum Alphabeti ordinem, notârunt literis sylvestrium ministri, & Patroni; observare solent etiam latibula ferarum, maximè aprorum in hoc Saltu; sed qui accuratè limites, diversæ jurisdictionis Dominos, vicina loca, oppida, inhabitata incolis, & universum sylvæ habitum & ambitum exposuisset nobis, hæc de re sollicitis, inventus nondum est. Per milliaria, secundum longitudinem & latitudinem, complura Saltus hic extenditur. Quæ adjacent vicina oppida, à *Gräfenbenichen*, *Kemberga*,

ga, Schmideberga, Pretsch, remotius Domitschium, & Düba,
(ne de municipiis Nobilibus quid dicam) nominari possunt.

§. XIII. Inter omnia hæc, propter ferri mineras exploratamque & detectam nuper ad eò fodinam, vicinosque rivulos feraces lapidum metallicorum, *Schmideberga* principe stat locos. Præterquam enim quòd in vicino quoque agro *Kerbinensi* ergasteria vitraria erecta à Generosissimo Barone DN. de *Westmabl*, in quibus vitra *Venetis* nec pretio, nec elegantia cessura facile, formantur, poliuntur & cœlantur; *Dübensis* atque *Schmidebergica* telluris bonitas varietasque vasis & catinis, etiam vitrariis, idonea censenda est; nec excurrendum *Helme Stadium* in *Saxoniam Inferiorem*. In colando, eluendo, & purgando siccandoque luto argilloso situm artificium imprimis. Sit tenacissima *Hassiacæ*, sit ignibus indomita, per multum tempus, *Ipsiensis*, juxta *Haffnerzellam* terra; *Schmidebergica*, elaborata rectè, non elogio fraudanda suo debito.

§. XIV. Sed propius deveniendum tandem ad fodinam novam, nuper admodum inventam, est. Huc contendentes ab oppido occurrit via gemina, humilior ac humidior per pagum *Moschwitz*; altior & commodior ad pagum in vicinia *Klein Korgau*. Huc profecti cum comitibus Amicis XXX. Augusti die, horâ matutinâ VI. ad VIII. venæ principalis caput, cum profunda latitudine, ac fundamento, & cavernulis nonnullis, (des *Hauptganges* aufgehen / wie er mächtig in die *Zeuffe* fällt / mit seinem liegenden und *Drusen* /) observavimus cum cura. Puteus inchoatus minor per passus metallicos effossus ferè tres (ein kleiner *Schacht* fast 3. *Lachter* tieff gesencket /) aridus, ad tumulum surgentem leniter; ad quem cuni-

culus haud difficulter agi possit in decliviori. Nomen est impositum fodinae zur neuen Hülffe Gottes. Cum considerationem mereatur res, & digna oppidò commensuratione sit fodina; (als ein Maaswürdige Zeche) jam in hoc exercitores novi (die bisherige Gewercke) occupantur, ut sufficientem numerum constituent, petantque loco solito jus fodiendi ad societatem pertinens.

§. XV. Territorialis Dominus est Serenissimus Elector Saxo noster; qui lignorum ad substructiones aliaque (zu Zechen/Stollen/Kawen/Duch und Schmeltz/Hütten) copiam, pro sylvæ abundantia conferre poterit, rogatus. Diesem Gnädigsten Grund-Herrn muß darumb auch der Zehende gereicht werden; wiewol / wenn es ein bloßes Eisen-Bergwerck bliebe / man keinen Zehenden/sondern andern gewöhnlichen Zins / seu canonem metallicum, abstattete. Non est prætereunda hîc demensio metalli-fodinae ordinaria in partes centum & 28. quæ vocantur Ruxe; sicuti societas vocatur eine Zeche / quæ Bohæmica vox est, notans sodalitiū. Demensum denotat ein Lehn / demensum duplicatum eine Wehr; 2. Lehn machen 1. Wehr; 3. Wehr eine Fund-Grube / 2. Wehr eine Maas. Areae fodinae designantur terminalibus lapidibus à Geometra metallico; werden durch einen Marckscheider verlochsteinet. Fodina ipsamet in varias divisa partes integrales appellationibus diversis numeratur. Inde nomen putei des Schachts / cuniculi des Stollens / & lacunæ infimæ der Erb-Zeuffe. Ferraria fodina, juxtà Georg. Agric. de re Metallic. l. 4. vel manet individua, vel dividitur in partes duas, aut in quatuor; propter venæ bonitatem etiam in plures.

§. XVI.

§. XVI. Nostra simul argentaria, non nudè ferrea existit. Uncia & semuncia argenti, pro diversitate mineræ locique, hætenus examen ignis arguit. Nec dubitandum, in profunditate opulentiorum fore: Sie werde sich verädlen in der Zeuffe. Quandoquidem contractus emphythevticarii indolem convenientius, quàm feudalis, referat aperiendæ jus fodinæ, primò peti aliquod testatum, (Germanicè ein Muthzettel) debet; hinc nomen ipsum Muthung atque Lehnschafft vocatur. Jus in præfenti casu competit Senatui Amplissimo *Fribergæ*. Renovatur, prolongandi beneficio, ibidem, (wird verlängert) und hernacher eingeschrieben in das Berg- und Gegen-Buch/ apud rei metallicæ Præfectum. Pararius societatis dicitur der Lehenträger / oder Auffnehmer; qui ad societatem ineundam alios pellexit, quique non solum obtinuit concessionem fodiendi, sed & evictionis documento, mit einem Gewehr- und Bestättigungs-Schein / auctoritate publicâ metallicæ nimirum præfecturæ est instructus. Vid. *Spanius* im Berg- Urthel / tit. 15. Solet enim fraudulenta partium metallicarum distributio à quibusdam proxenetis, & dolosis venditoribus (betrüglischen und unweydeten Kux-Kränkern) committi; quæ istiusmodi evictionis instrumento, manu propriâ montani Scribæ confirmato, evitari potest.

§. XVII. Territoriali Domino, Regalia qui possidet, debentur partes quatuor metallicæ hæreditariæ, 4. Erb-Kuxe / præter decimas non onerosas, partesque sacro debitas ærario & Civitati. Dem Grundsherrn soll frey stehen / vier Kuxen für sein Erb-Theil zu nehmen / und selbst zu verlegen / oder einen Kux / welcher von denen Gewercken in allermassen / wie wie



ax Ya 7089

(16.)

wie die Kirchen und Stadt-Luxe frey verbaute werden sollen/
zu behalten. Agric. de re metall. lib. 4. Dn. Lohneisen vom
Bergwercken Part. 2. p. 41. Partes autem sibi duas vindicat
Ecclesia & Schola à fodina qualibet. Pro rata partium me-
tallarum singuli exercitorum, sive sociorum (derer Geo-
wercke) ferunt onera & emolumenta. Nam si symbolam
(die Zusage) quam Præfectus aliquis fodinæ, vel cuni-
culi indixit, menstruo non solvant spatio, fortunæ suæ
fabri æstimantur. Quâ de re *Georg. Agricola* lib. 4. de R.
M. Si domini symbolam indictam spatio menstruo non
dederint, stato die horum nomina, pronuntiata magnâ
voce, de dominorum eximuntur numero, præsentem sci-
licet metallicorum magistro, juratis, atque fodinarum
Scriba partiumque. Ita in proscriptis numerantur. Wer-
den also ihre Theile ins Retardat gesetzt / und im Gegen-
Buch außgethan. Peregrinis tamen & extraneis, per man-
datarium agentibus, quatuordecim, post mensem, dies ad-
huc indulgentur. Hæc non mente aliâ, quam sociorum
gratiâ informandorum (dum versamur inter eru-
ditos, & cum his differimus,) ad-
jecimus.

T. ⊖. Δ.



1017

Pou Ya 4083, Ok

ULB Halle

3

004 171 284



/
n
t
u
o
n
i-
æ
R.
n
â
i-
n
r
n
i-
h-
m





17/A. K. 95, 17.

Q. D. B.
**FERAX
TALLOR. A**

**MINERALIUM
SALTUS, PROPE
BERGAM, IN S
ELECTORALI CI**
Repraesentabit

A
PRÆSIDI
**GEORGIO C
KIRCHMAJ**

P.P. Academiæ Witte
& h. t. RECTO

Responsuroq
**JOHANNES SCH
Lipsiensi Mis**

Wittenberg. ad diem 1. Octobr.
In Auditor. M

WITTEBERGÆ, Typis CHRISTIANI

